



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 58. Regis Angliæ adventus Caletum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A. C. 1475.

partibus defuturum, ut Franciam inter & Angliam pax redderetur, opportunum tamen tempus exspectandum fore, donec Rex ejus Dominus mare trajecisset; exscensione autem facta, protinus fecialem esse ablegandum, qui pro Legatione ad Eduardum Regem decernenda publicæ fidei literas impetraret. Nec tamen primo Regem adeundum esse, sed ante omnia Hawarti & Stanlaji opera utendum; ad horum enim præscripta rem a Feciali Gallo esse pertractandam. Placuit Ludovico consilium, quare Comminæo negotium dedit, ut hunc Eduardi deputatum, præcisa cum quocunque alio seorsim conferendi copia, ipse solus familiari colloquio atque obsequio semper fovere studeret, donec is adlectis viæ sociis in Angliam deduceretur.

§. LVIII.

Regis Angliæ adventus Caletum.

Interea Rex Angliæ Dubri Caletum trajecit, ac trium hebdomadarum iter confecit; quamvis hæc urbes non nisi septima inter se leuca distarent. Hunc advenisse, cum Burgundus intelligeret, protinus eum convenit, paucis duntaxat Nobilibus stipatus; hanc ob rem remissius & nullo ferme sermone ambo sese mutuo salutabant, eoquod Angli Burgundiæ

gundiæ Ducem cum valido exercitu ad-
 futurum sperassent. Dux Eduardo hac
 de re gravius conquerenti respondit,
 copias ad imperii sui nutum præsto fu-
 turas, in Lotharingiam interim missas
 esse, ut impensis hujus Ducis, a quo ad
 bellum provocatus esset, vires resume-
 rent; hoc dicto ambo primum Bonno-
 niam, demum Peronnam progressi sunt,
 ubi Eduardo Regi, atque Burgundiæ Du-
 ci Nobilis de Crevilla, nomine Conne-
 stabilis S. Pauli prosperum adventum
 gratulabatur.

§. LIX.

*Connestabilis oppidum S. Quintini
 Anglorum Regi cedere polli-
 citus.*

Ibidem Crevilla Regi ac Duci hæc si-
 gnificabat; Connestabilis Dominus
 meus oppidum S. Quintini nondum resti-
 tuit; id enim iniquissimo factum fuisset
 tempore, eoquod clandestina, quæ cum
 Galliarum Rege fovet, consilia in ore &
 oculis omnium fuissent; cum vero An-
 glorum copiæ jamjam advenerint, Con-
 nestabilis adeo considerate, ac circum-
 specte cum Ludovico Rege haud amplius
 aget, sed quantocius, si Burgundo bene-
 visum erit, oppidum S. Quintini Eduar-
 do cedit. Posthæc Crevilla Burgundiæ
 Duci

sæcul. XV.
 A. C. 1475.